



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et
Principis Monasteriensis Decas**

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

78. C. Bern. partem exercitur in Embslandiam ducis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

16 65. *radine mutuatum, E contra Remp. Comitatum illum exonerasse semper, gravasse nunquam Dissidentes saepe Comites, Ordinesque terrarum istius, Batavorum studio conciliatos; ac stabilitam ita concordiam, illos ipsos litteris non minus ac grati animi significatione, nec raro rogatum esse.*

Sibi quidem propositum fuisse amicae semper vicinitatis jura cum Monasteriensi colere. At vero nunc, cum inopinata hostilitate, diversam jam tum Reip. loca invaserit, oppresseritque, nec posse amplius ferri, sed ea se arrepturos metu, qua divina benignitas suppeditarit injuriis hinc damnisque propulsandis; donec aspirante DEO Celsitudo sua locum rationi dederit, & Ordinem congruam ab eo satisfactionem impetrarint.

78. *Jam ad Viadrum, seu Vechtam fluvium in agro Ommiano castra locaverant Monasterienses: Dum isthuc appellunt, nemo mortalius in Municipio visus est, qui vel inter paludes abdidit se, vel ad loca securiora fugerant. Viri duo post biduum reversi municipium pestiferae lue infectum & ipsas domos affirmabant, quibus primores aulae morabantur. Sed quod nec ij, nec quispiam alter correptus fuerit, militem passim crediderunt peste superiorem. Ommianum interim fortalitium lustrabatur, sed palustri circumfusa ex imbrium frequentia, tunc etiam humido re inaccessum. Et ipsae paludes autumnali-*

*C. Bern.
partem
exerci-
tus in
Embslan-
diam
ducit.*

bus aquis imperviæ, iter in *Drenthiam* prohibebant. Jussis igitur armatorum circiter octo millibus, Ductore Comite d'Offerij, & Cronio rei tormentiæ Præfecto, apud *Staphorstum* & *Rovennam* Castella, transitum vi querere, *Christophorus Bernardus* cum reliqua exercitûs parte *Oetmarsiam*, & inde per Comitatum *Benthemiensem* in *Embslandiam* Partem contendit, ut *Gorgassianis* hæc copias sociamitteret. Et quanquam Batavi vias in *Staphorst* in *Drenthiam* & *Rovenne* ita præseptas existimabant, ut im-possibile foret hosti penetrare: *D'Offeriani* agrum tamen, ut primùm tormento vel uno agi cœptum est, facili negotio peruperunt, fugientibus *Hasseletum*, *Zovollamq;* excubitoribus. Hæc igitur *Drenthiam* longè, lateq; & agrum *Groningensem* pervadunt, ac demùm *Winschoti*, inque tractu *Westeruvoldico* ac *Weddano* muniunt se, Principis nutum expectaturi.

Is jam antè *Gorgassio* se junxerat, & desperatâ tunc continuas inter pluvias *Bourtan-*ge munimenti obsidione (quæ cognominem *Isthiæ* inter ac vastam paludem, loco uliginoso, stagnanteq; sita est) graviore cura premebatur, quâ tandem viâ aquis quotidie invalescentibus salvaret exercitum, qui trans paludes confidebat. Nam interscisis ubique pontibus, viisque numerosiore passim milite firmatis, iter prius relegere, hostis ex classiariis indices

1665.

79.

*Isthiæ**sepris.*

dies